



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati
Caesarei, Pars Lyrica**

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

In Ascensionem Christi. Ode XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

98 IAC. ALB. GHIBRESII
(Doctarum decus artium)

Quò, GONDI, gelidos attuleras merus
Spreti præsidij morā ?

Cur tam longa dabas signa ferociæ ?
At Commercia scilicet ,

Diffugisse vocas : his phaleris rudem
Oblima populum : mihi

Prætexis placido crimina nomine :
Æquo mortiferæ audiant

Parcæ iure Deæ ; non aliter cædit
Diris Eumenidum nota .

Pulchræ decipimur vocis imagine ,
Narciso similes nimis :

Sirenumquè modi blandiùs enecant
Vectores male credulos .

Queis tu cunquè venis conditionibus ,
Vel falli pretium est . Nouo

Læta flore comas Castalides premunt ,
Indulgentquè agiles choris ;

Ætatis memores , ut decet , aureæ ,
Phœbo non alio datæ ,
Quamuis diuitibus perfluat Indijs .

IN ASCENSIONEM CHRISTI.

O D E X III.

Q Vis me Pierio pectine blandior
Delenit strepitus ? cum citharis lyræ ,
Voicesquè , ac tremulo murmure buccinæ

Latè sidera personant .

Auditis ? facili ludor imagine

Vecors ? ah , iuuenum cerno micantibus
Alis conspicuorum æthereum globum ,

Et Pæana canentium .

Ah , cerno medium syrmate candido
Insignem , domitæ cum spolio necis

Iesvm, stelligeri dum vaga balthei
Pulchro calcat ouans pede

Victor lumina : cui Cynthius aureos

Submittit radios, laxaque dexteræ

Concedit roseæ frœna iugalium

Curru non sine flammeo .

Non sic præcipiti fulminis arbitra

Obstantes nebulas remigio secat

Alarum, placidas diuidit ardui

Sedes CHRISTVS ut ætheris .

Hinc patres Erebi carcere lurido

Exempti, meritæ munus adoreæ

Decantant, resonis hinc Superum chori

Signis lætitiae tremunt .

AD IANVM.

Eum de fato Card: Spadæ anno vertente consulit .

Responso triumphat .

ODE XIV.

IANE, si Martem colimus secundum ,

lute cui debet tener annus ortum ,

Sed potens festas voluit mouere

Roma Calendas ;

Si nouam donis cumulamus aram

Virginis ceræ, liquidique thuris ,

Cludi ames posthac, retegas precor nunc

Pauca, Patulci .

Vate te, raucae tripodem Sibyllæ

Poscerem nunquam, Lyciasque sortes :

Tu bifrons secti specularis æui

Certiùs horas .

Luce solenni vaga cuique pompa

Munerum currit : pudet obligatum

Vnicè SPADÆ caput exprobranti

Cedere turbæ .